

Narrative Reading 4 (cont.)

Cum Fidēnae apertē descīerunt, Tullus Mettium exercitumque eius ab Albā accīvit et eōs contrā hostēs dūcit. Tullus adversus Vēientem hostem dērigit suōs, Albānōs contrā legiōnem Fidēnātium conlocat. Albānō neque animus erat nec fidēs. nec manēre ergō nec trānsire apertē ausus est, sed sēnsim ad montēs succēdit.

Post pugnam in quā Rōmānī vīcērunt, centuriōnēs armātī Mettium circumsistunt et Tullus inquit: “Albānī, populum omnem Albānum Rōmam trādūcere in animō est, cīvitātem dare plēbī, prīmōrēs in patrēs legere, ūnam urbem, ūnam rem pūblicam facere.” sed Mettius duōs in currūs distentus inligātus est. tum in dīversum iter equī concitātī sunt et lacerum in utrōque currū corpus portāvērunt. avertēre omnēs ab tantā foeditāte spectāculī oculōs. prīmum ultimumque illud supplicium apud Rōmānōs exemplī parum memoris lēgum hūmānārum fuit.